



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.



8984

1776, 6.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
TUTOR, QVI PVPILLI SVI  
VITRICVS FACTVS, A TVTELA  
LIBERETVR

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE IV. DECEMBR. ANNO MDCCCLXXVI.

DEFENDET

CAROLVS ADOLPHVS BARWASSER

FRAVENSTEIN.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

OPUSCULO  
DE CONTROVERSIIS

TYTOR, QVI PVILLI SVI  
VITIOSVS PACIVS, A TYTIA  
PITRETVR

HEVSTIS ISTORVM ORDINIS GRATA

D. CHRISTIANO HENR. BREWING


IN AVSTRIACO IMPERIO

CAROLVS ADOLPHVS ELECTOR

PAVIAE

EX OFFICINA PAVIENSIS





A N  
TUTOR, QVI PVPILLI SVI  
VITRICVS FACTVS, A TUTELA  
LIBERETVR.

---

§. I.



Sicuti varios modos leges comprobarunt, per quos quis munus tutelae consequitur, quippe vel et testamento tutelam quis obtinet, vel lex quem tutorem constituit, vel per magistratum quis tutor pupillis datur; ita variis quis modis hanc impuberis tuendi facultatem amittere, atque ab eo munere liberari potest. Quodsi enim vel pupillus moriatur, vel naturaliter, vel ciuilliter, aut veniat in sui tutelam, vt defensore amplius non egeat, cessabit tutela et tutor a tutela liberabitur. Neque officii tutoris vsus amplius erit, si ex *Piana* illa Constitutione arrogetur is, qui sub tutela hactenus erat, idque ex illa romani iuris regula, qua patrem



patrem habenti nullus erat tutor. Cessabat tutela et liberabatur tutor, admissa pupilli sui arrogatione facta. Erant et causae legibus definitivae, quibus quis, si deferatur tutela, sese excusando liberare poterat, imo aliae, quibus impediabatur, quominus quis tutelam delatam accipere posset. Dicunt excusationes, illas *voluntarias*, has contra *necessarias*. Sunt demum aliae causae, ex quibus quis tutor ab munere removendus est, quare iam Decemviri, quo pupillis prospicerent, ne in suis bonis detrimentum patiantur, suspecti iudicium introduxerunt.

### §. II.

Iam vero ex facto incidit quaestio: An Titius, pupillo Caio tutor datus, cum pupilli matrem postea in matrimonium duceret, propterea vel cessaret tutor esse, vel sese excusare posset, vel potius demum dimittendus esset aut remouendus a tutela tanquam hoc matrimonio suspectus factus, quasi amplius tutelae administrandae par non esset. Iam de ea quaestione quaedam tractavit *Franc. HORMANNVS Consil. L.* Videamus, quid sentiendum sit.

### §. III.

Probabile argumentum vitricus factus in eo quaeret, ut recedere possit a tutelae munere, quod tutrix mater abire cogatur a tutela, si vitricum superinducat. Hinc mater, si ad tutelam liberorum admittebatur, prius secundis nuptiis renunciare debebat. Ita sane voluit Imperator *IUSTINIANVS in Nou. XCIV. cap. II.* et expressè eam adiecit sanctionem: *ἀμα μὲν τοῖς δευτέροις αὐτὴν ὀμιλῆσαι γάμοις, εὐδὺς ἐξωθῆῖσθαι τῆς ἐπιτροπῆς. u. t. l. i. e. simulac tamen secundas nuptias contraxerit, statim expelli a tutela.* Iam ubi mater tutrix suspecta sit, si nubat viro, quid ni tutor suspectus haberi posset, qui pupilli matrem duxerat in matrimonium,

quip-



quippe coniugis curam habiturus, id quod sua interest magis curabit, quam quod pupillo suo prospiciat, qui matris aliquando heres extiturus est. Dein bona tutoris nouae suae uxori ob illata, si quae habet, hypothecae iure nexa erunt, quo efficietur, ut mater et pupillus filius in bonis ob securitatem concurrentes, facile collidant, indeque oriantur mutuae quaerelae inter matrem liberosque merito vitandae. Et quid! si iam vitricus factus se tutoris officio potio-rem putet, quam facile contingere potest, ut ex officio suo non agat, potius negotia gerat, quam se vicarium patrem putet, atque ex paterna quasi autoritate sese recte acturum credat, quod solus tutor vix ad eam modum acturus fuisset.

§. IV.

At, ubi causae, propter quas quis sese a tutela immunem reddere potest, vel ut a recipienda excusetur, vel receptam deponere valeat, legibus determinatae sunt, nihil invenitur, quod vitrico facto tutori possit esse auxilio. Quamvis quidem verum, matrem inhabilem futuram ad continuandam tutelam, si nouum superinducat maritum, quippe metuendum videbatur, ut vitricis noui matrimonii dulcedine capta et noui mariti blanditiis emota, mater nouerca proueniret. At tale quid in vitrico metuendum non videtur, imo potius probabile, si quae in vitrico metuenda, quin mater ea in commodum liberorum suorum blanditiis auertat. Neque tantum erit metuendum ob bona mariti vtrique et pupillo et matri nexa: bene enim matri cognitum erit, liberorum suorum ius in tutoris bonis prius et hinc potius semper futurum. Imo matrem sibi postea imputare debere, si in illatorum securitatem bona tutoris vitrici haud sufficiant: Suae enim culpae tribuat mater, quae in matrimonium cum tutore consensit. Et quamquam contingere possit, ut vitricus sese li-



beriolem in adminiftrandis pupilli bonis agere poffe credat, tamen vix iufta caufa effer, vt ab officio ipfe propterea recedat, quippe rationibus redditis annuis a magiftratu facile ad officium fuum reduci poteft, damnatus ad refituum, fi quod damnum in bonis pupillaribus contigit.

§. V.

Praeterea analogiae iuris repugnat, tutorem tanquam fufpectum vel accufare, vel remouere. Eft enim neceffe, vt adfit caufa vel in dolo, vel in negligentia pofita, per quam vel vere iam bonis pupillaribus damnum illatum, vel metuendum eft. Non ergo dubium, quod et tutor vitricus adminiftratione improba bonorum pupillarum fufpectus factus et accufari et remoueri poffit, idque eo minus dubium erit, cum teftes *VLPIANO in L. 1. §. 5. π. de fufpect. tut.* Suspecti omnes tutores fieri poffunt: fuae teftamentarii funt, fuae non funt, fed alterius generis tutores, quare et fi legitimus fit tutor, accufari poterit. At quaefitio eft, an folum cum pupilli matre contractum matrimonium eundem reddat fufpectum, vt a tutela remouendus fit. Et cum nulla lege matrimonium inter fufpicionis caufas refertur, neque matrimonium impedit, quominus fuo munere rite fungi poffit, fane absurdum videtur, vitricum ob folum matrimonium a tutela remouere; nifi alia fuperueniat remotionis iufta caufa

§. VI.

Confirmat me praeterea in hac opinione ipfa legum autoritas. Refcripferat Imp. *ALEXANDER A. in L. 2. C. de interd. matr. inter pupill. et tut.* in haec verba: *Mater pupillae cum tutore filiae fuae, vel filio tutoris nuptias contrahere non prohibetur.* Non itaque ius improbat matrimonium inter tutorem et pupillorum matrem contractum, quomodo fiat,





fiat, vt, cum lex nihil statuatur de tutela deponenda, hoc lege comprobatur matrimonium habeamus causam remouendi tutorem a tutela, qui potius ex autoritate legum munus publicum susceptum retinere debet. Imo non deest argumentum, propter quod potius iudex seu magistratus tutorem vitricum impellat ad continuandam tutelam. Probabile enim est, matrem pupillorum potius sollicitam fore, vt vitricum potius adigat, qui curiosius agat in curanda pupillorum educatione atque bonorum administratione. Et sic tutelae commodum erit potius matris coniugium cum tutore, quam quod eidem obsit et noceat.

§. VII.

Quamuis haec in se ita vera sint, vt vix dubium superesse possit; tamen certum est, dari posse causas, vt audendus sit tutor vitricus, qui deponere cupit post contractum matrimonium tutelam suorum pupillorum. Si enim fingamus, intercedere ex causa contingente inter matrem et pupillos litem, non aliter, nisi per iudicatum sopiendam, tutor maritus et vitricus in eam venit conditionem, vt tanquam pupillorum procurator horum vtilitatem quaerere, et simul tanquam matris curator legitimus huic bene prospicere sit obstrictus. Est haec obligatio ex legum dispositionibus in cura maritali pariter, ac in officio tutelae. Et cum lis cum sua coniuge ob personae vnitatem ex coniugii vinculo sua quasi esse videtur, lex vero non tantum excusat ob litem cum pupillo ortam, sed et remouendum censet, qui se excusare non vult; vt habet IULIANVS in L. 20. π. de excus. Si pupillum patruus, inquit, contendat exheredatum esse, se heredem scriptum: aequum est tutorem pupillo dari, recepta patruus excusatione, vel si nolit excusationem petere, remoto eo a tutela, ita litem de hereditate expellere. Concludo, hac specie se excu-



excusantem audiendum esse vitricum. Dein quia vtrisque et matri et pupillo est quasi procurator, vxor cogenda non est, vt sibi curatorem datiuum loco legitimi constitui patiatur. Tandem vero et cum aëtrice matre et cum pupillo reo vnã fictione iuris quasi constituat personam maritus vitricus, videri possit simul actoris rei que vice fungi, leges vero et litium natura hoc non permittit; puto, audiendum eum esse, si ad euitandem suspicionem, et ne partium aliquo modo studiosus videatur, qui vtrisque futurus procurator, sese a tutela excusare velit, cum a cura maritali se excusare nequit.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



f  
TA-70L

nur 34 Stk. bisher verkn.

VD  
18



8764

1776, 6.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
TVTOR, QVI PVPILLI SVI  
VITRICVS FACTVS, A TVTELA  
LIBERETVR

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
SOCIO  
IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE IV. DECEMBR. ANNO MDCCCLXXVI.  
DEFENDET  
CAROLVS ADOLPHVS BARWASSER  
FRAVENSTEIN.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

